

**2003-11-05 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Magnopere Laetamur’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

***EPISTULA DATA***

***ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO,  
SECRETARIO STATUS,***

***ELECTO LEGATO PONTIFICIO AD CELEBRANDUM X CENTENARIUM AB ELECTIONE IULII II***

*Venerabili Fratri Nostro  
ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO  
Secretario Status*

Magnopere laetamur quod quingentesima memoria anniversaria Iulii II ad Cathedram Petri electionis hoc Novembri mense convenienter in patria ipsius Savonensi commemorabitur, quo tempore etiam plurima recensebuntur administrationis eius pontificiae monumenta.

Cotidie enim fere in aliquod incurrimus Pontificis Iulii II opus: Petrianam Basilicam, veluti sepulcrale monumentum, opibus Christifidelium libenter incohatam, sacellum Sixtinum miro consilio eiusque iussu a Michaelangelo exornatum, conclavia iuxta arte singulari a Raphaele illustrata, Moysen nuper renovatum, iura Ecclesiae vehementer in Italia vindicata, artes litterasque firmiter praedicatas, pro Ecclesiae reformatione sententias prolatas. Haec et alia pontificatus Iulii II merita Savone sollemniter recolentur exeunte hoc mense.

Nos igitur gestientes ritibus illis interesse, die tricesimo huius mensis, ac Nostras diligenter conferre ad commemorationem partes te ipsum, Venerabilis Frater Noster, *Legatum Nostrum* nominamus libentes, ne quid memoriae illius Pontificis desit dignitatis decoris. Tu enim bene novisti eminent ministerium ab hoc Nostro praeclaro Decessore praebitum, ac simul artis coniungeris vinculis cum Liguria terra, in qua Iulius II est ortus. Aderis ergo pro Nobis ac participes singillatim Nostro pariter nomine salutabis, praesertim Episcopum et presbyteros dioecesis Savonensis-Naulensis necnon omnes auctoritates praesentes cunctosque fideles, ut humanitatis pietatisque fructus inde percipientur uberrimi.

*Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Novembris, anno MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

**IOANNES PAULUS PP. II**